



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ivlii Cæsaris|| Scaligeri|| Epistolæ|| &|| Orationes||

Scaliger, Julius Caesar

Lugduni Batavorum, 1600

Ivlivs Cæsar Scaliger Michaeli Vascosano Typographo S. P. D. LXXXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)

& gloriosissimæ matri semper virgini Mariae, qui omnes affecti sunt, sed nondum perfecti. Mitto etiam Epitaphia regiae matris, parem fortunam tua ut opera subeant. libuit enim mihi insanire, qui post tot argumenta, tot illustrium virorum egregias inuentiones, ausus sim interstrepere, idque neque sobrie, neq. mediocriter, non enim vno Epitaphio contentus, alterum etiam addidi. Satis id putasti? At non satis præcipiti ingenio, quale mihi obiiciunt amici, itaque cum vespere literas obsignassem, sub lucem poposci pugillaria, ut te quoque infomnia exerceat. Vale Agenni xx. Cal. Februarii M.D.XXXIII.

IULIVS CÆSAR SCALIGER
MICHAELI VASCOSANO
Typographo S.P.D. LXXXIII.

IOANNES Raollus Parisiensis cum Lutetiam iret, petiit de me siquid isthic sua opera curatum vellem: ei itaque negotium dederam, ut opusculum meum quod Lacrymas inscripseram, edendum tibi committeret, si iudicio tuo posteritatis memoria dignum videretur. Is ubi rediisset, præter spem nihil attulit. Quo factum est ubi suspicarer negligentius ab ipso datam operam. nam ne-

R 4 que

264 IUL. CÆS. SCAL. EPI. LXXXIII
que a vobis literarum quicquam, neque vestigium vllum speratæ editionis ostendebat. Profitebatur quoque abs te literas, non solum tuas, sed etiam, ut aiebat, a Venetiis. Id quod, ut erat mihi difficile ad credendum, ita augebat vehementius desiderium: quod ut aut tollas aut lenias, per institutæ amicitia inter nos mutua pignus atque ius rogo. Quodque ad opera mea, quæ multa atque præclara in manibus sunt, attinet, scribas ad me velim, quid optimum factu tibi videatur. Tua enim non solum opera atque diligentia, quam cum multis habes communem, verum etiam iudicio atque consilio mihi utendum censeo. Duodecim libri rerum verborumque rituum atque originum absoluti sunt. In his Aristotelico more atque norma disputatur de causis atque principiis linguæ Latinæ, adeo subtiliter atque exacte, ut hætenus didicisse, posthac vero docere posse videamur. Si libri si tibi videntur digni, qui literarum opulentiam augere posse iudicentur, facies me certiore ut eos ad te transmittam. Vale. Ex Agenno Idibus Februarii. M.D. XXXIII.

Optima

Optimo atque doctissimo viro

NICOLA O B O R B O N I O

V A N D O P E R A N O I V L I V S

C Æ S A R S C A L I G E R

S. D. LXXXIIII.

Q V O D semper atque inprimis obseruan-
 dum mihi fuit, vt omni officio siue li-
 terarum, siue ciuiliū munerum doctissi-
 mum quemque prosequerer: id me tu per-
 petuo cogitantem, Nicolae Borboni, quo-
 minus efficerem, humanitate tua praeueni-
 sti. Qui cum studiorum meorum aliquot
 monumenta isthuc missa offendisses, non
 solum exactissimi iudicii tui censura rece-
 pta voluisti, verum etiam digna iudicasti,
 quæ totius posteritatis æterna memoria
 consecrarentur. Quare factum est, vt quod,
 aut ab ingenio meo, aut ab instituto offi-
 cium vltro proficisci debuisset, id nunc
 tuo beneficio prouocatus, quoquo sane
 modo possim, facere compellar. Itaque
 quod tu ignoto mihi, atque virtutis igna-
 ro tuæ, humanitate summa tribuisti, id
 ego tibi meritorum erga me tuorum ma-
 gnitudine noto, atque debitum agnoscenti
 meum, non impari saltem æmulatione re-
 ponere debeo. Non quod parem hanc be-

R 5

neuolentiæ